

Gottfried Cundisius Johann Franz

**Dicti Apostolici Rom. V. v. 1, 2. Iustificati fide pacem habemus apud Deum per
Dominum nostrum Jesum Christum &c. Brevis Consideratio**

lenae: Weidnerus, 1649

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788764101>

Druck Freier  Zugang



A-N
A-G
A-96
A-78
A-N

84.

52 b. 5.

192p
A-C
A-E
A-B

Pr. 104
44 p
A-L

D-E
A-K
A-S
A-M
A-C
A-B
A-B
A-B
A-S
A-B
A-C
A-D

A-C
A-E
A-G
A-S

40 p
43 p
29 p
14 p
30 p
38 p
44 p
Pr. 70 p 52 p
66 p




A-B
Pr. 46
A-E
A-C
A-A
A-D


fa 1092 (84)

<16.7h.>

141
67h

1
2
2
2
3
4
4
1
17
16





1. J. B.
2. S. B.
3. J. G.
4. J. W.
5. A. D.
6. F. P.
7. C. B.
8. J. F.
9. J. G.
10. H. N.
11. H. N.
12. J. P.
13. B. B.
14. V. V.
15. C. B.
16. V. V.
17. A. B.
18. F. P.
19. A. B.
20. C. B.
21. J. G.
22. J. G.
23. - P.
24. - P.
25. H. N.
26. A. B.

In hoc
TOMO XXIV. Sunt.

1. Jo. Bened. Campfneri Patris. Vindicta doctrinae de Sacramento.
2. Bulaci (protr.) Ulenchius Errorum Lapisticorum de Sacram. Noie & Def.
3. M. Georo Lehmann (protr.) de Sionis pœnit. ex Joelis potissimum.
4. Jo. Ulrich Chayer (protr.) de Imagine Dei Homini primario concreat.
5. Andreac Kuhn (protr.) de Universali gratia.
6. Fredericus Holzmann (protr.) de Symbolo Apostolico contra Calvolum.
7. Balthasar Fredericy Salzmann (protr.) De Processione Spiritus S.
8. Jo. Fredericy Heilbrunnensis. De Tractu Patris ad Filium. y Jo. 14. 44.
9. Jo. Georo Dorschauer ad h. p. Judae v. s.
10. Henricy Schmid (protr.) De Cathedra Petri.
11. Henricy Philippus Heruart de Raptu Pauli. & sic.
12. Franctua Prof. Hulfemanno de Peccato in genere et in sp. de originali.
13. Bernard Schmid De lingua Ebraea.
14. Willeh. prof. Meijner. de Vita Salomonis curriculum.
15. Balthasar Boebelig de Phrasi N. Testamenti.
16. Victus de Urin et Thummim. 15. b. f. d. Chemn.
17. Michael Lobmütz de Judaim.
18. Francisc. Fide Anclisio ad Rom. v. 1. 2.
19. Christoph. Fide Christiano Chemnitio de Peccato in Spir. S.
20. Christian Chemnitzig de Tentatione sensus et in existentia Dei.
21. Idem de Fide Demonum.
22. Jo. Ernesty Gerharty de modo legitimo propagandi fidem.
23. - Idem de Salute Infantum ante baptismum decedentium.
24. - Idem de Periculis ad Nov. Test. Syriacum.
25. - Idem de Periculis ad Nov. Test. Syriacum.
26. Sebastiani Niemanni Fides Pontificia non Fides.
27. Jo. Bissumy de Elia adventu frustra a Judaeis adhuc expectato.

27. Jo. Tristramus de Judaico Anno Paschali. Exod. XII, 3. p.
28. —. Idem de Angelo Federis.
29. —. Idem de Pontificum Ebraeorum Vestitu sacro.
30. Jo. Bened. Carpforig de Arca Federis.
31. —. Idem de Quaestione: Quosum Arca perreuenit.
32. —. Idem ad nummos Cornutum Aesene exhibentes.
33. —. Idem ad Majemon. Hilch. VII. A. xvi.
34. —. Idem de Gigantibus.
35. —. Idem de Crethi et Pletti.
36. —. Eundem versio Hithot Thaanith Majemon.
37. Jo. Andreas Bosig ad 2 Thimoth. II, 22.
38. Christianus Korthold de Origine Philosoph. Barbaricae.
39. Jo. Faber Argent. de Causa Peccati.
40. Jo. Pappi Quaest. et Resp. de Ecclesia Catholica.
41. Jacobus Froeseisen de Haeresibus et Ahereticis.
42. Jo. Georg. Dorschauer de Unione Hypostatica Ca. II, 9.
43. Balthasar Raithij Specimen Collegii Biblici ex Obadi.
44. Jo. W. Stachig de Punctis Hebraeorum vocalibus.
45. Jo. Winkelmanny de Messia nostro Jesu Jer. xxxiii. 3-8.
46. Jacobi Leonoldii Praeside Fræcensio Flosculi Paganorum.
47. Wilhelmi Lyfoni Christus Patiens Gal. 4. xiii.
48. Jo. Conradi Sumrii Judaei Inexcusabile.
49. Jo. Schmiel de Resurrectione Christi a. h. ortus.
50. Wilhelmus Lyfoni de Eadem.
51. Elia Schadaei Theses de Spiritu S.

Pr
 M. Jo. Philippo Pomio
 Past. H. Heilbr. 1695.

Σὺν τῷ Θεῷ

DICTI APOSTOLICI

Rom. V. v. 1, 2.

Justificati fide pacem habemus
apud Deum per Dominum nostrum,
Jesum Christum &c.

BREVIS CONSIDERATIO,

QVAM
IN ILLUSTRISALANA,
PRÆSIDE

Admodum Reverendo, Amplissimo, & Excellentissimo VIRO,

Dn. GOTHOFREDO CUNDISIO,
SS. Theol. Doctore, ac ibidem Professore publico,

Domino, Præceptore, ac Patrono suo multum honorando,

publicæ disquisitioni submittit

JOHANNES FRANZIUS
ZITTAVIA - LUSATUS.

*Disputabitur ad diem 10. Martii,
in Auditorio Theologorum.*

7 E N Æ

EChalcographo JOH. CHRIST. WEIDNERI,
Anno M. DC. HL.

2
2
2
37
5
4
4

PATRIBUS PATRIÆ,
MUSAGETIS OPTIMIS,
VIRIS

*Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis
atq; Prudentissimis,*

Dn: CHRISTIANO HARTIGIO, Utriusq; Medicinæ
Doctore eminentissimo, Equiti Divi Marci apprimè stre-
nuo, ut & Consuli Reipubl. Zittanæ Regenti gravissimo:

Dn: JOHANNI NESENO, hæreditario in Poritzsch, Vi-
ro Consulari, Seni & Scholarchæ de patria longèmeri-
tissimo:

Dn: PHILIPPO STOLLEN, ejusdem Reipublicæ Vi-
ro Consulari præcellentissimo:

UT ET

*Nobilitate, Amplitudine, Experientiâ, Prudentiâq;
Excellentissimis,*

Dn: CASPARO HERTRANFT, hæreditario in Rat-
gendorf, Senatori & Proto - Notario Reipublicæ Patriæ
maximè conspicuo:

Dn: ANTONIO à KOHL, } Patriis & Proce-

Dn: JOHANNI EICHLER, } ribus Senatorii

Dn: CHRISTOPHORO SCHMEIDEL } ordinis primariis.

Dn: JOHANNI ROTHE N, Poligrammatéo & Notario
Amplissimi Senatûs fidelissimo,

Dominis, Mecanatibus, Evergetis,

Promotoribus ac Patronis,

immortali observantiâ mactandis,

præsens exercitium disputatorium,

in debita gratitudinis contestationem

*& studiorum suorum ulteriorem com-
mendationem offert*

Johannes Franzius

A. & R.



I. N. J.
T H E S I S I.

SI quid Christiano homine dignum est, uti sunt
reverà quàm plurima, quæ illum omninò decent,
& sine quibus ille nomen tam augustum tueri ne-
quit, certè μελέτημα istud de peccatorum venia-
& sublatione cum primis ab eo pensi habendum, adeo quæ ipsi
curæ cordique esse debet.

II. Apprimè hoc perspexerunt Patres, qui per quàm-
studiosè nos eò remiserunt, & hanc doctrinam miris quidem,
sed veris elogiis ornarunt. De peccatorum remissione sic pro-
nunciat *Augustinus* patrum Latinorum primicerius in Enchi-
ridio ad Laurentium cap. 64. *Per hanc stat Ecclesia, quæ in terris*
est, per hanc non perit, quod perierat & inventum est. Eandem
Bernhardus sermone I. in Annunciatione B. Mariæ tali stabi-
limento munit: *De remissione peccatorum, inquit, validissimum*
teneo argumentum, Dominicam passionem. Vox siquidem sangui-
nis ejus invaluit multò plus, quàm sanguinis Abel, clamans in
cordibus electorum remissionem omnium peccatorum. Traditus
enim est propter peccata nostra: nec dubium, quin potentior &
efficacior sit mors illius in bonum, quàm peccata nostra in malum.
Ad deprecationem proinde nos extimulat *Lactantius* lib. 6. de
vero cultu cap. 25 ubi ait: *Misericordiam DEI SEMPER im-*
ploret homo, & nihil aliud precetur, nisi peccatis suis veniam.

III. Non ergò præter rem aliquid dixit *B. Lutherus*,
quando hanc doctrinam nobis tantoperè commendat, & inter
alia Tomo IV. Jen. Lat. fol. 1. a. in hæc erumpit verba: *Opus*
est hunc articulum quàm diligentissimè tractare & Sathana op-
ponere, sive simus infantes, sive eloquentes, sive docti, sive indo-
cti. Oportet enim hanc petram clamari, si omnis homo taceret,
ab ipsis petris, seu lapidibus. Verissimum quoque est, quod
idem vir DEI Tomo eodem fol. 73. b. dicit in hanc senten-
tiam:

tiam: *Justificationis articulus est unicum presidium nostrum, non solum contra omnes vires & dolos hominum, sed etiam contra portas inferorum.*

IV. Etsi verò hac vice non tam de justificatione ipsa, quam de ejusdem effectis agere mecum constitui, tamen etiam hosce fructus degustare jucundum erit, ac oppidò necessarium.

V. Thema dissertationis meæ esto sacrum illud oraculum Rom. V. v. 1, 2. *Justificati igitur fide pacem habemus apud Deum per Dominum nostrum Jesum Christum. Per quem habemus accessum fide in gratiam istam, in qua stamus & gloriamur in spe gloria DEI.* Ejus exegetin succinctam exhibiturus tale præmitto votum:

*Dirige, queso, meos, Jesu venerande, labores,
Ut possint laudes amplificare tuas.*

ANALYSIS TEXTUS.

VI. Fide, eaque à nostrâ parte solâ nos justificari, sufficienter hactenus demonstravit Apostolus: nunc postquam justificationis causas declaravit, ad ejusdem effectus progreditur, quos in oraculo nostro Rom. V. v. 1, 2. luculenter describere incipit. Sumitur autem initium hujus capituli ab illatione, ut ostendit particula *igitur*, ut intelligatur, quod ex antecedentibus hæc fluat conclusio: Nos ergò fide justificamur.

VII. Effecta fidei *justificantis* quod attinet, varia hæc sunt, inq; interna & externa dispesci solent. De internis, iisq; principalibus in duobus citatis versibus agit gentium Doctor, suntq; illa 1. *conscientia tranquillitas*, 2. *accessus ad Deum facilitas*, 3. *gloriationis singularitas.*

IX. Primus effectus versiculo 1. comprehenditur, ubi Apostolus dicit: *Justificati fide pacem habemus apud Deum per Dominum nostrum Jesum Christum.* Singula verba cum sint singula pondera, in eorum explicatione aliquid studii ponere operæ pretium erit.

IX. Verbum *δικαιῶν* trifariam usurpant Græci, 1. *Neutraliter*, prout idem significat ac arbitrari, aliquid justum, vel æquum

æquum censere & pronounciare, qualiter usurpatum legi-
 tur apud *Thucydidem* lib. 2. δικαιώσας τοῖς αἰνοῦσι ἀμύνεσθαι.
 2. *Activè* pro condénare, suppliciiis afficere, supplicium de ali-
 quo in judicio, causâ judicatâ, sumere, uti etiam hanc signifi-
 cationem *Thucydides* habet lib. 3. ubi ait: ἡμᾶς δὲ αὐτὸς μάλ-
 λον δικαιώσασθαι; cum quo sensu fermè coincidit illa Germa-
 norum locutio, **einen armen Sünder rechtfertigen/ i. e.**
nach des Reches Breheil straffen. Ad significationem judi-
 cialem referri à quibusdam solet effatū Christi Matth. XI. v. 19.
 & Luc. VII. v. 35. ἐδικαιώθη ἡ σοφία διὰ τῶν τέκνων αἰνοῦσιν πάν-
 των: unde *Camerarius* in Notis suis scribit, quod sententia tan-
 quam in judicio pronounciata fuerit de Sapiéntia ab iis, qui
 illam ut pueri audire, eique se submittere debebant. Etsi vē-
 rò dictum illud plerumq; per αἰτιόθεσιν explicetur, ut æqui-
 polleat verbo Germanico **meistern/ vel Brecht geben/**
 tamen ab aliis ita exponitur: Ipsi filii cogentur testimonium
 reddere sapientiæ Dei, quod nihil prætermiserit, quod ad pro-
 curandam Judæorum salutem facere potuerit. *Esā. V. v. 3.* quâ
 interpretatione stante sensus esset: *Sapientia est justificata &*
absoluta à filiis suis. Videatur *B. Chemnitius* parte 2. L. C. pag.
 629. 3. *Passivè.* Ubi δικαιώσθαι apud *Aristotelem* lib. 5. *Eth. Nic.*
cap. II. in bonam partem dicitur is, cui jus suum tribuitur,
 hoc est, qui in foro justus declaratur, ideoq; à crimine absol-
 vitur, quam significationem etiam obtinet Hebræorum קָדַשׁ,
 in conjugatione Hiphil. Id quod inter alia patet ex ver-
 bis Absolonis II. *Sam. XV. v. 4.* Quis ponat me judicem in
 terrâ, & ad me veniat omnis vir, cui sit causa & judicium,
 וְהִצַּדַקְתִּי וְהִצַּדַקְתִּי & justum pronounciare ipsum, sive, ut *Pagninus*
 vertit, *justitiam faciam ei, jus ei dicam.* *Lutherus,* Daß ich ihm
 zum Rechten hülffe. Quomodo hæc significationes applicari
 ad Justificationem possint, docent *Theologi & Philosophi ce-*
leberrimi, Dn. D. Balth. Meisnerus p. m. parte 2. *Philosop. Sobr.*
sect. I. quæst. 28. p. 321. & *Dn. D. Jacobus Martini* Tomo I. di-
 sputationum pro *Aug. Confess. Collegio 2. disp. 3. Thesi 67.*

X. Latina versio habet *justificare*, quæ vox, quia juxta

A 3 ce-

testimonium *Costeri* in Enchirid. Controv. c. 6. p. 227. ut & *Bellarmini* lib. 2. de Justif. c. 3. nec apud Latinos Lexicographos, nec apud profanos Scriptores annotata & usurpata reperitur, merè Biblica & Ecclesiastica esse videtur: quâ de causâ etiam ejus dextra expositio ex solis Scripturis & orthodoxis Ecclesiæ Doctoribus depromenda.

XI. Est autem ejus significatio quoad articulum de Justificatione hominis coram Deo planè forensis, quippe quæ in sacro codice verbis non nisi processum judiciale denotantibus explicatur. Sacra etenim Scriptura ipsum justificandi actum describens mentionem facit judicii Psal. CXLIII. v. 2. debiti Matth. XVIII. v. 24. Chirographi Col. II. v. 14. Rei Rom. III. v. 4. Accusatoris Rom. III. v. 20. Testis Rom. II. v. 5. Tribunalis Rom. XIV. v. 10. Advocati I. Joh. II. v. 1. Judicis Actor. X. v. 42. Sententiæ decisivæ Matth. XXV. v. 32. seq. appellationis à throno justitiæ ad thronum misericordiæ Matth. XVIII. v. 26. & denique debiti remissi, vel absolutionis ibidem versu 27.

XII. Ex forensi igitur vocis *δικαίωσιν* significatione colligere licet, quod in præsentis dicto justificari coram Deo nihil aliud sit, quàm hominem peccatorem coram tribunalis judicii divini constitutum, & ad Dei misericordiam seriis precibus confugientem à culpâ simul & poenâ absolvi, adeoque justum reputari & pronunciari, quam orthodoxam interpretationem labefactare conantur *Pontificii*, dum distitant, quod *justificare* tantundem sit atque ex injusto justum facere, infusis novæ & inhærentis sanctitatis justitiæq; qualitatibus. *Beccanus* in Manuali lib. I. cap. 16. p. 258. seq.

XIII. Vox *πίστεως* est *πολύσημ.*, cujus *ἐμμανμίαν* evolvit *B. Meisnerus* Anthropologiæ sacræ Dec. 3. disp. 4. quæst. 6. pag. 192, 293. & 194. In textu nostro Paulino *πίστις* accipitur pro fide justificante, quæ tres veluti gradus complectitur, nempe 1. *notitiam*, 2. *assensum*, 3. *fiduciam*. Cognitio & assensus etiam in Diabolos cadunt, qui profitentur Christum, ac ea professione manifestant fidem historicam & assensum de Christo, tum ut est *ὁσαύτω π.*, quia confitentur eum esse

Filium

Filium DEI, Matth. VIII. v. 29. Marc. V. v. 7. Luc. IV. v. 28. & *Sanctum DEI* Marc. I. v. 24. tum etiam *ratione officii*, ut est *Salvator hominum Actor*. XVI. v. 17. ut monet *B. Hopffnerus* disputat. 12. *Anti-Meieriana* Cap. 1. Aph. 2. §. 41. *Fiducialis* verò *apprehensio* tantum in homines cadit, qui promissiones Evangelicas sibi applicant, Christi que meritum amplectuntur.

XIV. Ex his proinde colligi potest, quod fides in actu justificationis spectata non debeat esse nuda notitia, nec generalis assensus, ut volunt *Pontificii*, dum imperitæ plebi fidem implicitam & carbonariam commendant dicentes, sufficere, si aliquis simpliciter credat id, quod Ecclesia credit: sed *πληροφροσία*, Rom. IV. 21. *πεποιθήσις*, Eph. III. v. 12. *ὑπόστασις*, Heb. XI. v. 1. *παύρησις*, Eph. III. v. 12. applicans sibi sigillatim & in individuo universales de gratuita peccatorum remissione promissiones per & propter meritum Christi Redemptoris. De his fidei epithetis, & aliis huc pertinentibus multa præclare docet *B. Hutterus* in locis majoribus *Articulo de Justificatione* p. 447.

XV. Vocabulum *εἰρήνη* itidem ambiguitati obnoxium est. *Matthias Flacius* in *Clave Scripturæ* parte 1. p. 861. sub pacis voce annotavit, quod vocabulum Pacis tam in Latinâ, quam in aliis linguis propriè & communiter externam tantum hominum tranquillè viventium cohabitationem indiget, in sacris verò literis graviore & aliis linguis minus usitatas notiones importet. Quâ de causâ & hoc in loco Pax intelligenda est non de externa quadam quiete, seu politica concordia inter homines, sed de interna animi tranquillitate, quæ ob reconciliationem cum Deo, & conscientiam quietam nihil adversi metuit, sed pace, quam apud Deum habet, se erigit.

XVI. Observatione in super hîc loci dignum est, quod *Apostolus* verbo *ἔχομεν* in indicativo utatur, eoq; ipso justificatos jam pacem habere innuat, non demum ut habeant, admoneat. *Pontificii* admodum desudant in corrupenda hac voce. *Adamus Conzen.* in *Commentario super caput V. Epistolæ ad Romanos* p. 227. non tantum rem exigui momenti esse

esse putat, sive legatur ἔχομεν per ο, sive ἔχωμεν per ω, sed & illos hæreseos inquietæ notâ notat, qui magno studio urgent, ut defendatur ἔχομεν habemus. Verùm cùm, teste *Guilielmo Estio* in Commentario super caput V. Epistolæ ad Romanos pag. 53, 54. partim Codices Græci, quibus legatur ἔχωμεν, hodiè adeò sint pauci, ut ne ullus quidem à *Roberto Stephano* annotatus sit, partim etiã sensus, qui ex verbo indicativè sumpto petitur, sit planus, apertus, & toti contextui maximè consentaneus, minùs consultum videtur sententiæ Pontificiæ à *Conzenio* defensæ subscribere velle.

XVII. Secundum fidei justificantis effectum describit Apostolus his verbis: Δι' ἧ καὶ τὴν προσευγὰν ἐχήμεν τῇ πίστει &c. quibus non solum ad typicum V. T. propitiatorium, ad quod Israelitæ in adversis confugiebant, respicit, verùm etiã Christum ut προσευγὰν, i. e. manu ductorem nostrum introducit, qui, cùm antea peccata nos à Deo separarent, Esaïæ EIX. v. i. nobis iterum aditum ad Deum placatum conciliavit, & ita reconciliavit, ut nunc per fidem in Christum Jesum possimus ad thronum gratiæ accedere, misericordiam consequi, & gratiam invenire in tempore opportuno Hebr. IV. v. 16.

XIX. Admodùm delectatur phrasi hæc Apostolicâ, εἰς τὴν χάριν αὐτῆν, in gratiam istam, *Chrysostomus* in explicatione hujus loci p. 61. b. inquit: Dic, oro, quam gratiam? Divinâ cognitione dignari, ab errore liberari, veritatem agnoscere, omniaq; in summâ, quæ per baptismum dantur, bona acquirere. In hoc quippe nos adduxit, ut donis istis potiamur. Non enim simpliciter hoc egit, ut peccatorum tantummodò fieret remissio, liberatioq;, sed ut & innumeris simul dignitatibus fruermur.

XIX. Aliàs vox χάρις in Scriptura Canonica nuspiam usurpatur pro donis Physicis, aut beneficiis naturalibus: quare etiã hîc, more usitato, pro ea gratia, quæ versatur circa spiritalia, sumitur. Cùm verò quidam distinguant inter gratiam, quæ sit amor beneficentiæ, & gratiam, quæ sit amor complacentiæ, quæri potest, an prior, vel posterior hîc spectet. Quanquam verò prior gratiæ gradus, qui ad justificationem, ipsam pertinet, non excludatur penitus, sed præsupponatur, tamen

tamen de posteriori Apostolum hic (Rom. V. v. 2.) præcipue loqui, dubium non est: quem gratiæ actum etiam *amore n amicitia* ex dictis Johan. XVI. v. 27. & Jacob. II. v. 23. vocat B. Höpffnerus disput. I. Anti - Mejer. cap, 2. §. 14.

XX. Verba ἐν ἡ ἐσῆκαμην quorundam animos suspensos reddunt, & quidem ideò, quòd 1. incertum sit, an articulus postpositivus ἡ vel ad πίσω, vel ad χεῖρ referendus sit. *Beza* in annotationibus majoribus super N. T. parte alterâ pag. 56. *Estius* in comment. super Epist. ad Roman. pag. 54. & alii magis posteriori, quàm priori vocabulo eū applicant. 2. quòd per metaphoram ab acie ductâ ἐῆναι non simpliciter significet stare, verùm phrasi Ebræâ in statione persistere, hoc est, in firma fiducia permanere, & divinæ gratiæ adeò confidere, ut nec ab ea ullis tentationibus, vel persecutionibus nos avelli patiamur, observante B. *Gerhardo* in Notis ad caput V. Epistol. ad Romanos p. 157. Ferè ad hanc faciem explicat hanc phrasin. *Theophylactus* in Enarratione super Epist. ad Roman. f. 118. in-quiens: *In quâ stamus, i. e. in quâ obfirmati & stabiles sumus. Per-manent namq; bona ista cœlestia, nec casum aliquem patiuntur.*

XXI. Restat tertius fidei justificantis effectus, qui ab Apostolo exprimitur hunc in modum: καὶ καυχόμεθα ἐπ' ἐλπίδι τῆς δόξης τῆς Θεῶν, *Et gloriamur sub spe gloria DEI.* καυχόμεθα accipiendum hic est de gloriatione non *presumptionis*, aut *arrogantiæ*, quâ homo propriis suis viribus aliquid tribuit, (quæ ut è fidei doctrinâ, sic è cancellis justificationis & salvationis excluditur) sed *confidentia*, quando nimirum piorum spes adeò certa & firma est, ut illi de felicitate non minùs gloriantur, ac si eam re ipsa jam possideant. *In spe gloria*, dicit Apostolus, ut discamus, quamnam credentes oporteat habere mentem. Non enim de iis solùm, quæ data jam sunt, sed & de futuris non secus atq; datis eosdem persuasos esse oportet.

XXII. Per *gloriam DEI* hoc in loco nihil aliud significatur, quàm gloria cœlestis, quæ piis sub spe reposita est, & ita vocatur duplici potissimùm de causa, 1. ratione *donationis*, quia non aliunde, nisi à Deo propter Christum credentibus datur Rom. VI. v. 23. 2. Ratione *contemplationis*, quia in bea-tifica Dei visione consistit I. Joh. III. v. 2. B XXIII.

XXIII. Notandum insuper, quod licet Vetus Interpres legat τῆς δόξης τῶν υἱῶν τοῦ Θεοῦ, hoc est, *gloria filiorum DEI*, tamen genitivus filiorum nec in Græco, nec in Syriaco textu inveniatur, multò minùs à Græcis tractatoribus exponatur. Quando igitur *Paulus* nos jubet gloriari in *spe gloria Dei*, non tantùm tacitè occurrit hominum cogitationibus, quas possent de justitia & liberatione à peccato & morte hunc in modum fovere, qualis illa sit, cùm tamen ii adhuc sentiant peccatum & sint morti obnoxii, sed & monet, ut fide justificati, quamvis in hac terra peregrinentur, fiduciã tamen suã cœlos transcendant, ut tranquilli futuram hæreditatem in sinu foveant, quæ etsi nondum revelata, tamen certè futura sit.

QVÆSTIO I.

Quanam in re fides justificans, quatenus justificat, propriè consistat? v. 1.

XXIV. Graviter in veram fidei justificantis essentiam atq; naturam, velut angularem articuli de justificatione lapidem, impingunt *Pontificii*, dum non tantùm statuunt, quod fidei justificantis objectum proprium sit omne id, quod Deus in verbo revelare dignatus est, attestante *Bellarmino* lib. I. de justif. c. 8. §. 1. verùm etiam fidem justificantem negant esse notitiam. Idem l. i. de justif. c. 7. §. 2. & fiduciam cap. 6. §. 2. Ut autem rei veritas pateat, orthodoxorum hac in parte sententiam adducere & fidem justificantem tum ratione objecti, tum ratione actuum essentialium probè ponderare, operæ pretium erit.

XXV. Objectum proinde fidei justificantis probè distinguendum est ab aliis & quasi secundariis fidei scilicet se exercentis objectis, quatenus illa versatur circa beneficia spiritualia & corporalia divinitùs promissa, eaq; in cruce, spe, & oratione apprehendit. Vera enim & justificans fides justificat non quatenus promiscuas de bonis spiritualibus & corporalibus promissiones respicit, sed quatenus Christi meritum in verbo Evangelii sibi oblatum apprehendit: cujus assertionis perspicuum habemus exemplum in Abrahamo, qui dicitur justificatus per fidem, non quatenus creditur promissioni de seminis

minis carnalis multiplicatione, ac terræ Canaan à posteris possidendæ traditione, sed quatenus firmâ animi fiduciâ fuit amplexus ἐπαγγελίαν de seminis benedicti, hoc est, Christi missione Rom. IV. v. 3, 9, 17. Gal. III. v. 8, 9, 16.

XXVI. Nōstratium igitur sententia de proprio fidei justificantis objecto, præeunte B. Gerhardo, p. m. in Confess. Cathol. lib. II. part. II. Artic. 21. cap. 2. p. 612. ita confirmatur: Quocunq; apprehenso justificamur, illud est proprium & adæquatum fidei justificantis objectum. Sed obedientiâ Christi activâ & passivâ apprehensâ justificamur. Ergò obedientiâ Christi activa & passiva est proprium & adæquatum fidei justificantis objectum. Major suâ luce radiat. Minor liquet ex Joh. III. v. 18. Actor. IV. v. 12. I. Cor. I. v. 30.

XXVII. Taliter autem descripta & circa Christi obedientiam occupata fides quatuor potissimum constat actibus. Fides enim justificans in actu justificationis suo fungitur officio partim *desiderando*, quatenus nimirum cor humanum meriti Christi gratuitam applicationem seriò expetit ac appetit, qualis desiderii appetitus exprimitur tum per τὸ inhiare, Hab. II. v. 3. tum per τὸ quærere Cant. III. v. 2. partim *desideratum apprehendendo*, quando dolens peccator non theoreticè in intellectu, sed practicè in corde & conscientia satisfactionem Christi legi divinæ pro universis hominibus præstitam & in promissionibus Evangelicis oblatam apprehendit, quam apprehensionem fontes N. T. exprimunt per τὸ λαβεῖν Rom. V. v. 11, 15. δέχεσθαι Jac. I. v. 21. τυγχάνειν Hebr. XI. v. 33. partim *apprehensum appropriando*, quando credentes obedientiam Christi hominum loco legi præstitam eum ob finem apprehendunt, ut ipsis ad justitiam coram Deo valentem imputetur, canentes cum Ecclesia ex Esa. XLI. v. 24. in Domino meâ justitiæ, aut dicentes cum Thoma ex Joh. XX. v. 28. Domine mi & Deus mi! partim *in obedientiâ Christi fiducialiter acquiescendo*, quando scilicet quis Christum cum suo merito tali amplectitur fiducia, quæ faciat cor ipsius quiescere circa res divinitus promissas & sperandas, quo respectu & fides Hebr. XI. v. 1. appellatur ὑπίστας τῶν ἐλπίζομένων.

B 2

QVÆS-

QVÆSTIO II.

An Sancti mortui & à Romano Pontifice Canonizati non
sint invocandi eò, quòd per Christum ad Deum

προσευγωγήν habeamus? v. 2.

XXIX. Adamus Conzenius commentario suprà citato super hunc locum quæst. III. p. 230. Pareo vehementer succenset, quòd scripserit illos Christiano nomine indignos esse, qui Christo alios adjungerent προσευγάς. Pontificiorum sententiam defensorum Papista prædictus initiò contradictionem opinionem suam removere, deinde veritatem ex mente Romanensis Ecclesiæ adstruere sibi videtur. Per ἀρσιν procedit, dum dicit, probandum esse, Pontificios alios perductores, alios mediatores Christo associare, quod si quis faciat, anathema illos ei dicere: quod tamen, non obstante dicto anathemate, facile ad oculos demonstrari potest ex Bellarmini libro 1. de Sanctis beatis cap. 19. Tomo 2. pag. 434. Porro βεβήωσιν instituit, cum statuit, non omnem creaturæ aut sanctorum ad auxilia invocationem Christo προσευγῶ nostro contumeliosam esse, siquidem & ipse Paulus in Epistolis suis non raro requirat, ut fratres pro se orent.

XXIX. Verùm ad assertionis hujus nervum enervandum ex scriptis orthodoxorum satis superq; constat, longè disparem esse rationem precum à Christianis vivis fusarum, ac supplicationum ad sanctos mortuos directarum. Illæ sunt cultus Dei religiosus, quem prima Decalogi tabula requirit jubens, ut alter pro altero in hac vita oret. Hæ verò preces non tantùm sunt vanæ ac stolidæ, sed etiam cū scripturis pugnant Psal. XVI. v. 5 & Esa. LXIII. (in Bibliis Germanicis cap. 64. v. 16.) Rimam quidem ulteriùs elabendi quærunt Pontificii, dum inter λατρείαν, δαλείαν, & ὑπερδαλείαν distinguunt. Istam Deo, illam sanctis cœlitibus, hanc verò B. virgini Mariæ competere, contendunt. Verùm quàm vanum & frustraneum sit hocce effugium, ostendit Dn. D. Balduinus in Tractatu posthumo de casibus Conscientiæ Lib. II. cap. V. p. 158, 159, 160. & cap. VII. pag. 221, 222. Videatur quoq; Dn. D. Brochmand Tomo II. System. Theolog. Art. XVIII. Quæst. II. à pag. 48. usq; ad 54.

Nos

Nos explosa ἀγιολατρεία Pontificiâ solius Christi, qui est ad
dextram DEI & interpellat pro nobis Rom. VIII. v. 34. intercessi-
one Mediatoriâ contenti sumus.

QVÆSTIO III.

An gratia DEI justificans sit habitus infusus? v. 2.

XXX. Conzenius in Commentar. super Epist. Pauli ad
Rom. p. 229. gratiam ita interpretatur, quod illa hoc loco sit
donum, quo infuso justos nos Deus faciat, & idcirco suo favo-
re & gratiâ dignetur. Communis hic est Pontificiorum error,
qui quoties docent, nos gratiâ Dei justificari, toties nomine
gratiæ non gratuitum Dei misericordis favorem, sed qualitates
nobis infusas, donaq; nobis inhærentia intelligunt, veluti le-
gere est apud *Bellarminum* lib. I. de grat. & libero arbitr. cap. 3.
§. at sententia, & *Gregorium de Valentia* Tomo 2. disput. 8. ali-
osque hujus gregis sectatores.

XXXI. Unum præ cæteris circa hanc notissimam
controversiam observatione dignum est, quod alia sit gratia
justificationis, alia renovationis, sive sanctificationis. Hæc,
quia significat dona illa inhabitantis Spiritus sancti & virtu-
tes, quas in jam renatis & justificatis operatur, negotium justi-
ficationis coram Deo non ingreditur, sed demùm subse-
quitur, & se habet ut effectum. Illa, quæ nihil aliud est, quàm
gratuitus vereq; paternus Dei favor, quo ille homines à pec-
cato & pœnâ liberandos nullo ipsorum merito, nullâ digni-
tate, sed merâ misericordiâ motus est complexus, est προ-
γυρνή, vel impellens justificationis causa, & quasi Helena,
de qua in themate nostro certatur.

XXXII. Fundamentum, quo falsam de justificatione
per habitum gratiæ infusæ ὑπόθεσιν nostrates impugnant & e-
vertunt, præcipuè huic includitur Syllogismo: Quicquid in
Sacris per actiones non habitualiter inhærentes, sed à sola Dei
misericordia provenientes describitur, illud non est habitus
infusus. Atqui gratia Dei circa homines justificandos in Sa-
cris taliter describitur. E. gratia Dei non est habitus infusus.
Major extra controversiæ aleam posita. Minor desumpta est
ex Luc. I. v. 78. Rom. V. v. 8. Ephes. II. v. 4, 5, 7, 8. Tit. III. v. 4.

B 3

Quid

Quid igitur verbo divino verius? Quid rationibus ex eodem
petitis clarius? Plura qui desiderat, consulere poterit B. Chem-
nitii partem II. L. C. à pag. 726. usq; ad pag. 737. & partem I.
Examini Concil. Trident. edit. Francof. in 8to pag. 298.

QVÆSTIO IV.

An de favore DEI & gratiâ presente possimus esse
certi? v. l. 2.

XXXIII. Ut ante omnia status controversiæ rectè intel-
ligatur, notandum, quod nobis constitutum sit quærere non
de inani hypocritarum præsumptione, qui fingunt se habere
Deum propitium, sibiq; remissa esse peccata, cum tamen sint
veræ pœnitentiæ expertes, nec de fide hæreticorum defenden-
tium errorem in fundamento, atq; interim de fide gloriantiu-
m, an ea verâ fiduciâ gratiam Dei amplectatur? neq; an cre-
dentes in Christum sæpè vacillent in fide? multò minùs an in
Ecclesia sit remissio peccatorum? vel an Deus sit misericors &
clemens? sed tantùm de certâ promissionum Evangelicarum
applicatione, an nimirum homo justificatus fide certus esse
debeat de impetrata peccatorum suorum venia & salute?

XXXIV. Affirmativam in textu nostro luculenter con-
firmat Paulus. Si enim fides justificans præprimis constat fi-
duciali meriti Christi apprehensione, fiducia & dubitatio non
convenient. Si fide justificati certissimè fruuntur pace cum
Deo & reconciliatione, dubitatio certitudini reconcilia-
tionis manifestè adversatur. Si fide justificati muniuntur per
Christum ad gratiam accessione, non decet appropinquando
dubitare, & dubitando appropinquare. Si fide justificati sta-
re debent in gratia, intermittenda erit dubitatio. Si fide justi-
ficati utuntur in spe gloriæ Dei gloriatione, igitur quò glo-
riatio sit eò firmior & stabilior, minimè dubitandum.

XXXV. Negativam Conzenius insignis ille dogmatum
Pontificiorum hyperaspistes in comment. super hunc locum
p 229. defendere non erubescit, dum verborum, *in gratia sta-
re*, explicationem, quæ dictam certitudinem gratiæ asserit,
hæreticam nominat. Quo improprio prodit errorem gra-
vissimum Synagoge Pontificiæ docentis, homini Christiano
de

de justificatione, gratiâ Dei, peccatorum remissione & universali æternâ salute perpetuò esse dubitandum, ut liquet ex Conc. Trident. Sess. 6. cap. 19. can. 13, 15, 16. Detestabile istud portentiloquium ex Scripturis Canonicis non ita pridem solidè refutavit plurimum Reverendus & Excellentissimus Dn. Præfès in Notis super Compendium Hütterianum Loco XIII. quæst. 29. not. 3, 4, 5, 6. & seqq. ac disput. III. quæstionum illust. in primam Johannis Epistolam, Quæst. XI. De quæstionibus actum fuit huc usque: sequuntur.

P O R I S M A T A.

XXXVI. 1. *Justificationis articulus multorum bonorum spiritualium est fasciculus.* Certiores n. reddit nos de præterito, inimicitiae nimirum inter Deum & homines sublatione, de præsentis, liberâ ad Deum accessione, de futuro, hæreditatis quippe cœlestis consecutione.

XXXVII. 2. *Bona conscientia fidei est pedisequa.* De eadem cum BernharDO ex libro de conscientia (pag. 111, 112.) rectè dicitur, quod sit *templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, aurum reclinatorium, gaudium Angelorum, aula Dei, habitaculum Spiritus Sancti &c.* Nihil est jucundius, nihil dulcius bonâ conscientia: *premat corpus, trahat mundus, terreat Diabolus, illa tamen semper eris secunda!* O quantum hoc est bonum! quanta felicitas!

XXXVIII. 3. *Pacem veram qui desiderat, illam in Christo quarat.* V. 1. Is enim est princeps Pacis Esa. IX. v. 6. imò *pax nostra faciens ex duobus unum novum hominem: & veniens pacem evangelizabit, qui procul aberant, & in, qui propè Ephes. II. v. 14, 15, 17.*

XXXIX. 4. *Sine Christo ad Deum qui venire gessit repulsam patitur.* Is enim est unicus inter Deum & homines mediator I. Tim. II. versu 3, 5.

XL. 5. *Accessus absq. fide est recessus.* Sine fide enim impossibile est Deo placere Hebr. XI. v. 6. Fides est illa fiducia, quæ facit, ut liberè Deum adeamus. Fides docet Patrem Filii morte placatum esse, & humano generi benè velle.

XLI. 6. *In fide stare non est cassitare v. z.* Simus in fundamento illo unico I. Cor. III. v. 11. *πεπερωμένοι*, hoc est, *existentiam durabilem habentes*, quatenus per eundem Dominum nostrum conservamur & confirmamur in fide.

XLII. 7. *Exordium & complementum salutis & gloria consequenda pendet à fide.* Quia enim fide habemus accessum, fide stamus, & fide gloriæmur sub spe gloriæ Dei, non dicitur, nos aliâ re justificari, aliâ salvari, nec aliâ re nos accipere salutem, aliâ retinere & conservare, sed gratia nominatur & fides, uti hæc verba illustravit B. Chemnitius parte 3, Locorum Communium pag. 138.

Τῶ Θεῷ δόξα.

SI quaquam trutinat, DIC CUR HIC, ponderat illud
Pra multis cultor, FRANZIUS, Eusebicus,
Exerret sacris quem Justificatio curis,
De cujus fructu differit egregie.
Tam bene qui collata locat stipendia, dignum,
Pluribus, arbitror, hunc esse patrociniis.

Humanissimo & doctissimo Dn. Respondenti,
thesium auctori, & Sympalæstritæ suo in
Collegio Hütteriano de hoc eruditionis
specimine animatus gratulatur, ipsique
optatos rerum successus, & ulteriorem
Dei benedictionem devotè precatur.


PRÆSES


GOTHOFREDUS CUNDISIUS D.


WIr armen sterbliche / wir sind durch Schuld verdorben /
durch Erb. vnd eigene / von Sünden rein erstorben /
zum andern Todt ernennet. Doch fühl aus dem Befehl
die Schuld mit sambt der Straff; wein / winsel / reiß durchs
des Teufels der dich helt; sey ernstig anzuhören (Neh)
der guten Botschaft laut / die gnadenreichen Lehren;
greif / faß den Welt Heyland; vnd denn sey drauff bedacht
wie künfftig besser werd das Leben zugebracht:
dies ist Rechtfertigung. So wächst des Höchsten Ehre /
vnd wir erlangen Heil / besage Gottes Lehre:
ja Fried vnd Freundschaft folgt bey Gott auf solche That /
der dann vns sterbliche aufnimbt an Kindes stat;
Seel / Sinn vnd Herz erneut / den Geist schenckt als zum Pfande;
vnd Erbschaft. Hoffnung pflantz vom künfftigen Vaterlande:
inmassen schriftlich diß der THAMSER Landesman
aus Göttlichem Geirieb den RÖMERN kund gethan;
vnd aus ihm hier Herr FRANZ / den hierzu hat gerühret
die gelehrte Fröngkeit / die ihm die Hand geführt.
Woraus sein ZITAN merckt / als aus der ersten That /
was sie fort ofterzeit von ihm zuhoffen hat.
Er hat selbst was er schreibt: wil nicht allein recht gläuben;
recht reden gleichfals auch / vnd recht gelehrt auch schreiben;
von HOFFMANN / FRIED vnd GEISE / der Frucht der
GNECHTIGKEIT:
des SCHNEIDENS Frucht sey GIBER / AMBE / EHRE mit
der Zeit!


M. Johannes Zanke.


F I N I S.











LXV.

Apostoli verbis utar) tanta nos &
Patrum circumstet testium nubes, de
ti tam à Filio quam à patre, minime
sed id operam dare, ut virtute S.
Christi participes fiamus.

LXVI.

us salutem nobis promeruit: tamen
z, potiri ea non possumus.

LXVII.

Et quod toties cum in V. tum N. Te-
r, et gratia eius commendetur.

LXVIII.

regulam August: Omnia opera Trini-
sa sunt: & Spiritus S. cum Patre
vicissim: tamen Spiritui Sancto di-
causa tribuuntur, gubernatio & cō-
onuersio & purificatio cordium, ob-
n deductio, consolatio, sanctificatio,
a glorificatio.

LXIX.

Idem est Spiritus: tamen dona eius
sunt.

LXX.

Homini datus est sine mensura, si qui-
tudo Deitatis συμπληρώς corpora-
prio suo corpore habitat, col: 2. Sān-
mensuram pro ut vult, & Ecclesie
Sunt